

Johann Klein von


**Joannes de Klein, Jctus ... Hodie Universitatis Rostochiensis Rector, Cives Academicos Omnes Singulosqve, Ad Devotam Vereq[ue] Christianam Sacrosancti Sanctissimi Spiritus Festi Celebrationem ... Exhortatur**

Rostochii: Typis Joh. Weplingii, [1710?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003465153>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1710 Pfingsten

~~A-1256~~<sup>120.</sup>

H. 1210

# JOANNES DE KLEIN,

LECTUS, SERENISSIMÆ AC POTENTISSIMÆ  
REGINÆ BORUSSIÆ,  
NEC NON

SERENISSIMI DUCIS REGENTIS MECLENBURGICI  
CONSILIARIUS INTIMUS, CANCELLARIUS ET  
CONSISTORII DIRECTOR,

ET HODIE UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

## RECTOR,

CIVES ACADEMICOS OMNES SINGULOSQUE,

# AD DEVOTAM VE-

# RE; CHRISTIANAM

# SACROSANCTI SANCTISSIMI

# SPIRITUS

# STI CELEBRATIONEM



EX OFFICIO SERIO ET AMANTER EXHORTATUR.



ROSTOCHII,

Typis JOH. WEPPLINGII, SERENISS. PRINC.  
ET ACAD. Typogr.

N. 84

M. 1236 120



**U**T admirabilis in se atque essentiã suã Deus est, qvi neq̃ comprehendi ab humano intellectu, neqve verbis majestatis ipsius sublimitatem exprimentibus describi potest: ita non minorem admirationem & qvendam quasi in animo hominis stuporem excitare apta est Divina œconomia, qvã homini in peccata prolapsõ e miserã restitutionem & ab exitio salutem disponit. Unus est DEUS, unusq̃; eo unitatis genere, qvõd in plures Deos multiplicari contradictionem, ut Philosophi loqvuntur, involvit, qvãli de cætero exemplo universã natura destituitur. Et trinus tamen simul est Deus, tres, ut vulgo loqvi solemus, sunt personæ, non aliter ac cum tres in judicio testes producantur, tres eosdem personas esse ne qvidem, qvi simplici ingenio præditi sunt, ignorant. Hæ verò personæ ineffabili ex sese invicem modo, qvo altera alterius origo est, progrediuntur, ut tamẽ eandem numero essentiã, non multiplicatã Deitate, possideant. Filius ex Patre, Spiritus S. ex Patre per Filium nec tamen vel Filius Patre vel Spiritus S. Patre Filioqve qvoad essentiã minor & qvamqvã non unus idemq̃, unum, tamen idemq̃; Pater principium Deitatis, Filius ex Deitate qvidam progressus, Spiritus S. qvædam ex illã emanatio, essentiã tamen ipsã nunqvã mutatã, nunqvã variata. Idem Deus, qvi Pater, idem, qvi Filius, idem, qvi Spiritus Sanctus, nec tamen Pater est Filius vel Spiritus S. neq̃; Spiritus S. est vel Filius vel Pater. Unum sunt, dicente Apostolo & tamen tres sunt. Tam admirabilem DEI intra sese constitutionem non caro & fangvis, sed Pater cœlestis nobis revelavit, in cujus verbo nutuqve summã nobis

nobis reverentiâ acquiescendum est. Jam si Divinam de salute nostrâ œconomiam respiciamus, eodem illa ordine, eademqve admirabili ratione, quâ Divina essentia, Divinæq; inter se Personæ consistunt, disposita esse deprehenditur. Unus fons est, ex quo fluit dispositio & in tres tamen rivulos diffusus. Fundamentum dispositionis ponit Pater, prosequitur Filius, finem eidem imponit Spiritus Sanctus, nec tamen Pater quicquam agit, quin idem agat & Filius, quin idem & Spiritus Sanctus. *Pater meus operatur, ait Filius, & ego operor; nam ego & Pater unum sumus.* Pater miseretur generis humani & salutem eidem disponit, Filius, ne intercedat justitia Divina, satisfactionem promittit, præstatq; Spiritus S. hæc tanta beneficia homini offert & intra justum ordinem applicat. Nec tamen miseretur Pater, quin misereatur & Filius & Spiritus S. nec satisfacit justitiæ Divinæ Filius, quin manum simul admoveant Pater & Spiritus S. *Deus enim erat in Christo & reconciliabat sibi mundum.* Nec beneficia illa offert communicatq; Spiritus S. quin eorundem simul participem faciant hominem Pater & Filius. Mittunt Pater & Spiritus S. Filium & Filius mittitur. *Nam misit me Dominus, ait Filius, & Spiritus ejus.* Et tamen Filius ultrò venit & quasi semetipsum mittit. *Ecce venio, inquit, & voluntatem tuam proprio quoq; motu facio.* Mittitur à Patre Filioqve Spiritus S. in corda fidelium, ut eosdem sanctificet. Et Spiritus S. suomet motu eorum, qui ipsum desiderant, pectora ingreditur & habitaculum in iisdem suum extruit. Ecce, anima DEO devota, quanta salutaris huius dispositionis, quamqve admirabilis cum ipsâ divinarum personarum intra sese essentiâ convenientia, quanta conspiratio! Sed verò transeamus nunc ad id, cuius gratia hæc hæctenus meditatio instituta fuit & ad quod præsentis nos festivitatis solemnitas invitat, atqve ad devotionem nostram excitandam

dam Spiritus Sancti in negotio salutis nostræ dispositionem, non minus admiratione dignam, curatius intueamur. Js itaq; , ut eos , quibus fundata quasi à Patre & destinata homini, parta verò & acquisita à Filio sunt , beneficiorum participes reddat, primò amabilissimâ voce ad se vocat, ut instruere eosdem de gratiarum Divinarum per amorem Dei Patris , omnem hominis cogitationem supergredientem & per meritum Filii, inæstimabile in se pretium complectens, ipsis acquisitâ & magnitudine immensâ & innumerabili multitudine, eoq; pacto ad officii ab ipsis præstandi æquitatem adducere possit. Innumeri sunt, qui hanc vocacionem alto supercilio contemnunt & in voluptatibus hujus mundi, quarum præmium æternum exitium est, volutari, quam ad Divini amoris gustum, qui æternæ salutis initium est, invitante quantumlibet, clamante, omnibus modis pelliciente Spiritu S. accedere malunt. Horum utique porcorum, qui furfure magis quam tritico delectantur, sibi quemetipsis extremam æternamq; perniciem attrahunt, justa est condemnatio. Qui verò amabili Spiritus Sancti invitationi aures præbentes ad eundem, audituri, quid velit, accedunt, in iis jam alterum officii sui quasi gradum exercet, edocetq; , quidnam ipsis faciendum sit, ceu & primæ illius in N. T. Pentecostes auditores, excitante eos ad audiendum verbum Apostolo, dixerunt: *quid faciendum nobis est, viri fratres?* Hic igitur doctoris personam induit Spiritus S. discendiq; cupidum informat, quoniam ipsi ex mente & intellectu exuendi errores, ut in veritatis jubar eluctari & è tenebris, quæ ipsum circumsepserant, quo minus, quid amplectendum sit, quid fugiendum, conspiceret, converti ad lucem posset. Quantum verò, quamq; immensum hoc est beneficium! Qui naturali cœcitate laborant, ipsâ infelicitate magis sunt infelices, quippe qui nec luce, rerum


rerum omnium jucundissimâ amabilissimaq; frui nec vi-  
am, in quâ sine pedû offensione & corporis lapsu atq; præ-  
cipitio progrediantur, oculis usurpare, nec deniq; quic-  
quam humano genere dignum efficere possunt. Quan-  
tò verò anima nobilior est corpore & id, quod caducum  
est, eo, quod est firmum ac stabile, eo quoque tristior &  
miserabilior ea cœcitas est, quæ mentem nostram post  
primorum nostrorum parentum lapsum profundè oc-  
cupavit & ad exerendas bonas Deoq; verè placentes  
actiones, ipsis lapidibus & truncis magis reddidit ine-  
ptos. Ut enim cœcus sine periculo lapsus & vitæ ipsius  
discrimine neque recta ante se via ambulare, nec vel ad  
dextram vel ad sinistram tutò declinare potest: ita &  
homo per lapsum amissis Divinæ sapientiæ oculis non  
magis quam cœcus, quid faciendum ipsi sit, quid fugien-  
dum, cernere, nedum sectari potest. Igitur Spiritus  
Sancti post invitationem nostram prima hæc opera est,  
ut dispulsâ mentis nostræ caligine in lucem nos deponat,  
id est, in omnem nos ducat veritatem. Quarum præci-  
pua est, ut Christum nobis monstret, animæ nostræ medi-  
cum, quo per fidem apprehenso ex miseriâ eripi & resti-  
tui salutem queamus. Innumera denuo eorum multitudo  
est, qui ubi Spiritum docentem, naturalesq; dispulsurum  
tenebras audiverunt, oculos à docentis vultu avertunt,  
tenebrasq; dicente Christo, plus amant, quam lu-  
cem. Qui verò abjectis intellectus erroribus verita-  
tem docente Spiritu S. sunt complexi, apud eosdem  
tertium officii sui momentum gradumq; exercet Spi-  
ritus S. voluntatè Divinâ virtute flectendo, commoven-  
doque, ut cognito animæ suæ Servatori adhæreat, ut  
firmâ eundem fiduciâ complectatur, ut in eo solo salutis  
suæ spem & anchoram ponat. Id ut obtineat, obsta-  
cula

cula quælibet, quæ vel diabolus, vel mundus vel caro  
objectare poterat, remove, quantum in se est, nititur.  
Ut frangat rebellem voluntatem, ut frena incidat car-  
nis concupiscentiis, adversus Spiritum cristas erigenti-  
bus, ut viam ad Christum planam reddat & expeditam,  
omnem, quâ fieri potest, operam adhibet. Nunquam  
laboriosior est Spiritus S. quam cum eousq; opus suum  
perduxit, ut notitiâ quidem verissimâ Christum homo  
peccator complectatur, sed fiduciam adimant & ample-  
xum vel hujus mundi voluptates, vel carnis blandi-  
tiæ. Immensum hoc denuò & ineffabile est Spiritus  
Sancti beneficium, quod qui contemnunt, eò majorem  
sibi attrahunt damnationem, quo propius ad salutis  
ostium adducti pedem retrahunt, spemq; sibimetipsis  
omnem adimunt salutis. Qui verò & huic sese ordini  
subjiciunt, eos quarto jam gratiæ suæ documento beat  
Spiritus S. dum ex Satanæ potestate eosdem plenissimè  
eripit & in Divini amoris sinum penitus penitusq; re-  
ponit. Justificationis voce sacra pagina hoc benefi-  
cium condecorat. Quo qui afficiuntur, Deum jam  
habent propitium & spe consummatae salutis indubiâ  
potiuntur. O quantum hoc est Spiritus Sancti bene-  
ficium, inferno eripi & asseri cælo! Quod denique,  
quinto postremoq; gradu ita cumulat Spiritus S. ut ho-  
minem DEO reconciliatum tanquam templum suum,  
inhabitet, ut cum eo familiarissimè tanquam amicus  
cum amico versetur, ut eundem Christianis virtutibus  
tanquam pretiosissimâ veste condecoret, ut in calami-  
tatibus illum erigat, ut in secundis rebus, ne lasciviat  
& ad mundi amorem deficiat, retrahat, ut contra mor-  
tis metum muniat, ut ex hac vitâ decedentem angelo-  
rum operâ in sinum Abrahamæ deportari curet. Vi-  
distis,

distis, cives, admirabilem Divinæ essentiæ, Divinarumq;  
inter sese personarum, œconomiam, salutis item no-  
stræ, per easdem procuratæ, in primis verò operæ, à Spi-  
ritu S. eam in rem impensæ, ordinatam admirabilemq;  
dispositionem. Nunc rationem apud vosmet subdu-  
cere ipsimet potestis, quid officii à vobis vestri ratio re-  
quirat, ut tantis Spiritus S. beneficiis, hoc præcipuè  
consecrato ipsi ab Ecclesiâ solenni festo, dignos vos ex-  
hibeatis. Nempe primò VOCAT vos ad se, campanis  
hunc in finem in Ecclesiis sonantibus, ut in ministris  
suis illum audiatis. Non igitur vel in cubiculis vestris  
fornio indulgete, vel per plateas audiendarum rerum,  
novarum causa obambulate, nec cum sacris interestis,  
confabulationibus, aut oculorum in lascivas seculi vani-  
tates emissionibus, tempus terite. Sanctus est, qui  
vos in ædem sacram vocat, Spiritus, igitur non nisi san-  
ctis meditationibus incumbendum est. *Hodie cum au-  
dieritis vocem ejus, corda vestra non obdurate.* Deinde in-  
format vos DOCETQUE Spiritus Sanctus. Nostis  
enim de Apostolis Ecclesiæque ministris dictum esse:  
*non illos esse, qui loquuntur, sed Spiritum Patris ipsorum esse,  
qui per illos loquatur.* Quid igitur æquius est, quam ut  
cum Samuele dicatis: *loquere, Domine, nam servus Tuus  
audit?* Audiendi autem sunt cum reverentiâ & devoti-  
one, non ut quæ ab illis dicuntur, censoriâ strigili in-  
compitis circumferatis, sed ut revocetis ad animum,  
quæq; in vitâ vestrâ, in moribus vestris, in conversatio-  
ne vestrâ corrigenda vobis sint, intelligatis. Quæ si fe-  
ceritis, jam tertio voluntatem vestram efficaciter FLE-  
CTET & emendabit Spiritus Sanctus. Vos verò ne  
sitis *σκληροτράχηλοι*, qui optimi Spiritus ductum maliti-  
osè excutiatis, Christumq; unicum præsidium & sola-  
tium

tium vestrum, ludibrio afficiatis. O vos terq; quaterq;  
miseros & infelices, si unico hoc salutis vestræ fulcro  
destituamini! Quo sine nec progressum in studiis  
vestris, nec si illa maturuerint maximè, eventum vel  
vobis optatum, vel publicæ rei fructuosum polliceri  
vobis potestis. Maledictum econtra erit, quicquid  
fueritis aggressi, quocunq; promoveritis pedem, in  
quamcunq; fortunam fueritis elati. Igitur eò omni  
ope enitimini, ut quarti Spiritus Sancti, quintiq; be-  
nefici reddamini participes, ut à reatu vos æternæ mor-  
tis liberos pronunciet, ut in DEI filios & æternæ vitæ  
hæredes adoptet, ut solidam vobis conscientiæ pacem  
conciliet, ut vos omni gratiarum suarum plenitudine  
inhabitet, ut omnibus pulcerrimarum virtutum orna-  
mentis vos condecoret. Hac si veste superbiatis, Deo  
bonisq; omnibus magis grati eritis atq; accepti, quam si  
ad ipsum tonsoriæ artis fastigium composito & probè  
pretiosèque delibuto capillo per forum volitetis, aut  
in vestimentis auro sericoq; vibrantibus vani & lasciv-  
vientis sexus oculos pascatis. O vos terque quaterque  
beatos, si in solenni hoc sanctissimi Spiritus festo hæc  
ad animum revocetis! Is pectora vestra gubernet,  
flectatq;, ut in sacro hoc solenniq; festo ea tantum &  
meditemini & agatis, quæ officio vestro erga sacrosan-  
ctum Spiritum conveniant, vobisq; & ejus gratiam &  
in studia omnemq; vitam vestram benedictionem con-  
cipient. Quem in finem veteri suspirio ad illum pre-  
camur: *Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fide-  
um & tui amoris in eis ignem accende, qui per diver-  
sitate linguarum cunctarum gentes in uni-  
tate fidei congregasti.*  
P. P. Sub sigillo Rectoratus, ipso sacri festi die,  
anno R. S. MDCCX,





distis, cives, admirabilem Divinae essentiae, Divinae  
inter sese personarum, oeconomiam, salutis  
strae, per easdem procuratae, in primis vero op  
ritu S eam in rem impensa, ordinatam admi  
dispositionem. Nunc rationem apud vos m  
cere ipsimet potestis, quid officii a vobis vest  
quirat, ut tantis Spiritus S. beneficiis, hoc  
consecrato ipsi ab Ecclesia solenni festo, dign  
hibeatis. Nempe primo VOCAT vos ad se,  
hunc in finem in Ecclesiis sonantibus, ut in  
suis illum audiat. Non igitur vel in cubicu  
fornio indulgete, vel per plateas audiendarum  
novarum causa obambulate, nec cum sacris  
confabulationibus, aut oculorum in lascivas se  
tates emissionibus, tempus terite. Sanct  
vos in aedem sacram vocat, Spiritus, igitur no  
ctis meditationibus incumbendum est. *Hodie*  
*dieritis vocem ejus, corda vestra non obdurate.* I  
format vos DOCETOVE Spiritus Sanctus.  
enim de Apostolis Ecclesiaeque ministris dict  
*non illos esse, qui loquuntur, sed Spiritum Patris ip  
qui per illos loquatur.* Quid igitur aequius est  
cum Samuele dicatis: *loquere, Domine, nam se  
audis?* Audiendi autem sunt cum reverentia  
one, non ut quae ab illis dicuntur, censoria sit  
compitis circumferatis, sed ut revocetis ad a  
quaeque in vita vestra, in moribus vestris, in cor  
ne vestra corrigenda vobis sint, intelligatis.  
ceritis, jam tertio voluntatem vestram efficac  
CTET & emendabit Spiritus Sanctus. Vo  
fitis *αληθεράχρητοι*, qui optimi Spiritus ductu  
ose excutiatis, Christumque, unicum praesidiu

